INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXIV A DIE V APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT

MICHAELIS JOS. KRÜGER,

S. THEOL. D. ATQUE EX EJUS PROF. P. O. NUNC CANONICI WARMIEN.

SCHOLION IN VERBA HEGESIPPI

ΤΙΝΕΣ ΟΥΝ ΤΩΝ ΕΠΤΑ ΑΙΡΕΣΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΤΩΙ ΛΑΩΙ

(APUD EUSEB. H. E. II. 23)

SIVE

DE SYNEDRIO MAGNO ISRAELIS

COMMENTATIO ARCHAEOLOGICA

QUA COMMILITONIBUS VALEDICIT.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. ANDREAS MENZEL,

PROFESSOR PUPLICUS ORDINARIUS.

REGII LYCEI HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Vox αἵρεσις quum alias notiones habet, tum sectam designat [1]). Sectas autem tres tantum, scilicet Pharisaeos, Sadducaeos et Essenos, apud Judaeos antiquitus fuisse, Flavius Josephus memoriae prodidit [2]), donec Judas Galilaeus, in reliquis omnibus cum Pharisaeis faciens, nimio libertatis amore abreptus [3]) σοφίστης ἰδίας αἱρέσεως fieret [4]), ἀσυνήθους πρότερον [5]). De tribus igitur sectis Judaeorum disserens Flavius Josephus non repugnat, si quis quartae sectae Galilaeorum a Pharisaeis pullulantium mentionem facere velit, sed de quinta quadam, sexta et septima secta nihil omnino compertum habet. Quamquam inde sequitur, septem sectas apud Judaeos stante templo non fuisse, et septem αἱρέσεις ab Hegesippo apud Euseb. H. E. II. 23 commemoratas non de sectis intelligendas esse, sed aliam interpretationem efflagitare, nihilominus quidam hoc Hegesippi loco seducti numerum septem sectarum Judaicarum implere allaborarunt. Quorum industria loco alio Hegesippi apud Euseb. H. E. IV. 22 nunc exhibentur Ἐσσαῖοι, Γαλιλαῖοι, Ἡμεροβαπτίσται, Μασβωθαῖοι, Σαμαρεῖται, Σαδδουκαῖοι, Φαρισαῖοι: similiter locus Justini Martyris Dial. 80 nunc habet τοὺς Σαδδουκαίους et τὰς ὁμοίας αἱρέσεις Γενιστῶν καὶ Μεριστῶν καὶ Γαλιλαίων καὶ Ἑλληνιανῶν καὶ Φαρισαίων καὶ Βαπτιστῶν. Certo Epiphanius neque Justini neque Hegesippi locos hosce cum interpolationibus, quas nunc habent, legebat; at a numero septem sectarum Judaicarum ob Hegesippi illo loco septem αἱρέσεις testantis auctoritatem se debere non recedere ratus satis difficile recenset Sadducaeos, Scribas, Pharisaeos, Hemerobaptistas, Nasaraeos, Ossenos et Herodianos [6]). Nostro judicio ab Hegesippo apud Euseb. H. E. II. 23 non commemorantur αἱ

---

[1]) Josephi Antiqq. XIII. 10, 5. Οἱ Φαρισαῖοι — αἵρεσις ὄντες μία τῶν Ἰουδαίων.

[2]) Antiqq. XVIII. 1, 2; Bell. II. 8, 2; Vit. 2.

[3]) Antiqq. XVIII. 1, 6.

[4]) Bell. II. 8, 1.

[5]) Antiqq. XVIII. 1, 1.

[6]) Haer. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.

πτὰ αἱρέσεις αἱ ἐν τῷ λαῷ, i. e. non septem sectae Judaeorum, sed αἱ ἑπτὰ αἱρέσεις τῶν ἐν τῷ λαῷ, i. e. septem selectiones civium, sive viri selecti ex unoquoque septem ordinum populi, qui in unum congregati magistratus quidam Judaeorum erant.

Ut verba laudata Hegesippi sic interpretemur, primo ipse loci contextus postulat. Narrat enim Hegesippus, ad Jacobum fratrem Domini venisse τινὰς τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ, de Jesu eum interrogaturos; ex quibus aliquos Jacobo auctore credidisse, Jesum esse Christum; multis igitur etiam ex numero τῶν ἀρχόντων credentibus tumultum factum esse Judaeorum, et reliqua. Apparet, eos ipsos, quibus Jacobus auctor credendi exstitisse traditur, fuisse in numero τῶν ἀρχόντων. Quumque ipsum τῶν ἀρχόντων collegium minime esse possent αἱ ἑπτὰ αἱρέσεις αἱ ἐν τῷ λαῷ, magistratus quidam Judaeorum tunc fuerint necesse est αἱ ἑπτὰ αἱρέσεις τῶν ἐν τῷ λαῷ. Praeterea eam ipsam interpretationem exigit aliud quoque Hegesippi fragmentum apud Euseb. H. E. IV. 22, quo post Jacobi mortem Thebutis quidam, ἀπὸ τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων ὢν καὶ αὐτὸς τῶν ἐν τῷ λαῷ, episcopus Hierosolymitanus fieri voluisse perhibetur. Unus homo septem sectarum assecla esse omnino non potest; nam si qua ex singulis dogmata sibi tenenda eligeret, nullius earum statim esset, sed octavae cujusdam assertor. Unde Thebutis unus τῶν ἀρχόντων Jacobo auctore in Christum credentium fuisse dicendus est, sive membrum magistratus cujusdam ex septem selectionibus civium Judaeorum constantis. Nostrum jam erit proponere, quidquid ex fontibus antiquis hauserimus de septem ordinibus populi Judaeorum ac de magistratu ex eorundem septem ordinum viris selectis composito.

I. De septum ordinibus populi Judaeorum.

Notissimum est, ἐν τῷ λαῷ Judaeorum fuisse tres sectiones, scilicet sacerdotes, Levitas et Israelitas [7]. Quae tres sectiones ordines septem faciebant. Nam

1. In sacerdotibus differentia erat maxima. Secundum commentationem nostram, quam de sacerdotum apud Judaeos nobilitate edidimus [8], post exilium soli Pinechasidae, interdum ἀρχιερεῖς vocati, sacerdotalibus muneribus fungebantur, sejuncti a reliquis sacerdotibus ἀγεννέσι vocatis; porro Pinechasidarum alteri erant ἐπίσημοι, ἄσημοι alteri; atque in ipsis τοῖς ἀσήμοις alteri erant γνώριμοι, alteri ἀσημότεροι. Itaque Pinechasidarum sive sacerdotum munere post exilium tres ordines erant, specialibus epithetis insignes:

1) Ephemeria Jedaia solos Sadoqidas in se habens, ἀρχιερέας sensu strictiore atque ἐπισήμους vocatos.

---

[7]) Mishna Thaanith 4, 2 et sexcenti loci alii.

[8]) Index lectionum in Lyceo Hosiano per aestatem anni 1860 instituendarum.

2) Ephemeriae Joiarib et Abia, quarum cives ἄσημοι quidem erant, at γνώριμοι. Ordo iste secundus ab ephemeria nobiliore in eo constituta vocabatur Joiarib vel Ben-Joiarib [9]).

3) Ephemeria Jachin, οἱ ἀσημότεροι.

2. Sicut Pinechasidarum principatus apud ephemeriam Jedaia erat, ita in reliquis viginti ephemeriis sacerdotum ἀγεννῶν primos locos habebant ephemeriae Malkia et Immer [10]); et quoniam Ezr. 8, 2 una cum Pinechasidis sive superioribus Eleazaridis commemorantur Ithamaridae, ephemeriam Malkia primam fuisse statuendum est in Eleazaridis inferioribus, atque ephemeriam Immer in Ithamaridis. Quibus ita comparatis, vix dubium est, quin praeter tres ordines Pinechasidarum quattuor hi ordines reliquorum Judaeorum ab Ezra constituti sint:

4) Duodecim ephemeriae Eleazaridarum inferiorum Pinechasidis in templo ministrantium ideoque Levitarum munere vel λειτουργῶν vocatorum.

5) Omnes octo ephemeriae Ithamaridarum item munus et nomen Levitarum vel λειτουργῶν habentium.

6) Levitae genere, quorum alteri in templo cantores erant, alteri janitores.

7) Israelitae.

3. Ordo quartus, quintus et sextus, quos Ezra constituit, per Nehemiam et Joannem Hyrcanum variam fortunam experti sunt.

a) Ezra Levitas genere eos, quorum patres ante exilium λειτουργοὶ fuerant, item eos, quorum patres tunc cantores fuerant, in ternas domos divisit sub principibus Jeshua, Binnui, Qadmiel, Sherebia, Juda et Matthania constitutas, atque omnes eas sex domos cantores esse jussit; quorum vero patres ante exilium janitores fuerant, ii in duas domos divisi id munus retinebant [11]). Nehemia autem primum in Judaea praesens edixit, ut tres tantum domus, cum principibus Jeshua, Binnui et Qadmiel a reliquis Levitis genere distinctae [12]), munus cantorum ab Ezra acceptum retinerent, reliqui vero Levitae genere omnes in sex domos divisi ut janitores essent. Nam eae ipsae tres domus cantorum et sex janitorum post Ezram institutae existebant [13]) ad id usque tempus, quo Nehemia iterum in Judaea praesens secundum vere genuinam lectionem, quam LXX habent in Neh.

---

[9]) 1 Chron. 9, 10; Neh. 11, 10.
[10]) 1 Chron. 9, 10—13; Neh. 11, 10—14.
[11]) Neh. 12, 8; cf. 11, 15—19.
[12]) Neh. 10, 10.
[13]) Neh. 12, 24. 25.

12, 25, janitores eos munere exuit[14]). Quorum in locum quum alios substitui oporteret, mutata tunc per Nehemiam facies trium istorum ordinum haec erat: 1) In sexto ordine tres tantum domus Levitarum genere eorum, quorum patres ante exilium λειτουργοὶ, et qui post exilium usque ad Nehemiam iterum in Judaea praesentem cantores fuerant, evaserunt janitores, accipientes munus reliquorum omnium Levitarum genere a ministerio sacro tunc exclusorum. 2) Quintus ordo Ithamaridarum degradabatur ad obeundum munus cantorum. 3) Quartus ordo Eleazaridarum inferiorum solus permanebat in officiis τῶν λειτουργῶν sive Levitarum munere.

b) Quae Nehemia secundo in Judaea praesens de sacerdotum ἀγεννῶν ac Levitarum genere ordinibus sanxerat, finem habuerunt. Nam Flavii Josephi tempore in una eademque φυλῇ Levitarum munere sive in duodecim ephemeriis Eleazaridarum inferiorum alii erant ὑμνῳδοὶ, alii, iique non τὸ λοιπὸν τῆς φυλῆς, sed μέρος τι τῆς φυλῆς vocati, τῶν λειτουργῶν officia habebant[15]); unde et alios Eleazaridas tunc janitores fuisse, Ithamaridas vero munus cantorum, et Levitarum genere in templo ministrantem partem reliquam quoque munus janitorum post Nehemiae aetatem amisisse apparet. Id quod utrique passi sunt a Joanne Hyrcano, qui cessare jussit τοὺς Meorerim et τοὺς Noqephim[16]), quorum illud ex mutato nomine Ithamaridarum antea cantorum (Meshorerim) prodiens convicium, hanc Levitarum genere calumniam esse in hujus commentationis appendice probabimus.

4. Inde a Joannis Hyrcani aetate sectio sacerdotum munere habebat ordines tres, sectio Levitarum munere ordinem unum, et sectio Israelitarum a sacris muneribus exclusorum ordines tres Ithamaridarum, Levitarum genere et Israelitarum reliquorum.

II. De magistratu ex septem ordinum viris selectis composito.

Ex septem ordinum unoquoque secundum relationem Hegesippi αἵρεσις quaedam sive selectus coetus virorum in collegio τῶν ἀρχόντων erat, unde et ipsum id collegium vocabatur αἱ ἑπτὰ αἱρέσεις τῶν ἐν τῷ λαῷ[17]). Ad quam assertionem comprobandam non desunt nobis documenta.

---

[14]) Neh. 12, 25 exhibent LXX ἐν τῷ συναγαγεῖν με τοὺς πυλωροὺς, quae respondent verbis hebraicis beospi eth ha-Shoarim, i. e. quando ego (Nehemia) removebam janitores. Quum Nehemia sex domus janitorum removeret a munere, versio LXX sex principes janitorum e textu removit.

[15]) Antiqq. XX. 9, 6.

[16]) Mishna Maaser sheni 5, 15 et Sota 9, 10. — In commentatione nostra „de sacerdotum apud Judaeos nobilitate" hos Meorerim et Noqephim minus recte explicavimus. Quaedam quoque de sacerdotibus ἀγεννέσιν et Levitis genere ibi posita nunc probius perspicimus.

[17]) Ejusmodi denominationis aliud exemplum est shissha Sedarim, i. e. Thalmud sex series tractatuum habens.

1. Josaphat rex in singulis urbibus regni Juda judices constituit, in Jerusalem autem collegium judicum ex sacerdotibus, Levitis et populi primoribus compositum, qui non solum ejus urbis judices essent, sed ad quos etiam ex aliis urbibus res graviores dijudicandae mitterentur; cui collegio idem rex praefecit duos viros a Flavio Josepho ἑκατέρους dictos, i. e. par virorum, *duumviros*[18]). Ex quo instituto quum Flavii Josephi tempore singulis urbibus Judaeae septem viri praeessent[19]), ipse singulis quoque urbibus Galilaeae provinciae sibi mandatae totidem δικαστὰς minorum litium praeposuit, atque omnis Galilaeae septuaginta ἄρχοντας certo non instituisset, si idem numerus virorum in collegio τῶν ἀρχόντων urbis Jerusalem suo tempore non fuisset[20]). Praeterea quod et Moses septuaginta seniores instituit[21]), inde numerus totidem ἀρχόντων urbis Jerusalem quammaxime commendatur. Quod collegium quum a Flavio Josepho vocetur οἱ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν πρεσβύτεροι[22]), τῶν Ἱεροσολυμιτῶν οἱ προὔχοντες[23]), τῶν Ἱεροσολυμιτῶν οἱ πρῶτοι[24]), τὸ συνέδριον τῶν Ἱεροσολυμιτῶν[25]), οἱ ἄρχοντες et οἱ ἄρχοντες τῶν Ἱεροσολύμων[26]), in Mishna pleno nomine *synedrium magnum Israelis* appellatur[27]) ibique item duumviri ei collegio praesidentes commemorantur[28]), at contra assertionem R. Judae numerum septuaginta seniorum tuentis ipsi unum et septuaginta membra tribuuntur, eam maxime ob causam, quod ex sententia doctorum recentiorum numerus judicum impar esse debebat[29]).

2. Sicut Josaphat rex in collegio judicum Hierosolymitanorum esse voluit sacerdotes, Levitas et primores populi, ita secundum Mishnam nemo in causis capitalibus judex esse potuit, nisi sacerdotes (munere), Levitae (munere) et Israelitae ii, quorum filias sacerdotibus (ministrantibus) in matrimonium ducere liceret[30]), i. e. sacerdotes non ministrantes ii, Levitae non ministrantes ii et Israelitae reliqui ii, de quorum incontaminata ingenuitate constabat[31]). At non tantum esse *poterant* membra magni synedrii Israelis ex tribus sectionibus populi, sed revera inde erant, atque ita quidem, ut ex unoquoque ordine selecti viri deni numerum septuaginta seniorum efficerent. Nam τῶν Ἱεροσολυμιτῶν οἱ προὔχοντες ex gremio suo ad Neronem imperatorem mittunt τοὺς πρώτους δέκα[32]). Jam si qui vocantur οἱ πρῶτοι δέκα collegii hujus Flavio Josepho indigitante septuaginta membra habentis, proximi τοῖς πρώτοις δέκα erant οἱ δεύτεροι δέκα, atque οἱ ἕβδομοι δέκα omnium ultimi. Singulas autem decadas ex singulis ordinibus populi fuisse, ita ut οἱ πρῶτοι δέκα fuerint ordinis primi, τῶν ἐπισήμων, τῶν ἀρχιερέων sensu strictiore vocatorum, τῶν Σαδδουκαίων genere sive Sadoqidarum, id cum Hegesippo egregie testari videntur Actus Apostolorum. Nam quum Act. 4, 5. 6 in collegio τῶν ἀρχόντων praeter seniores et scribas inveniantur *cum Anna pontifice* Caiphas, Joannes, Alexander καὶ ὅσοι ἦσαν *ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ*, loco Act. 5, 17 *cum pontifice* fuisse dicitur ἡ οὖσα *αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων*.

---

18) 2 Chron. 19, 5 seqq. — Antiqq. IX. 1, 1. 19) Antiqq. IV. 8, 14. 20) Bell. II, 20. 5. 21) Num. 11, 16. 17. 22) Antiqq. XI. 8, 2. 23) Antiqq. XX. 8, 11. 24) Vit. 7. 25) Vit. 12. 26) Bell. II. 12, 3. 5; 16, 1. 27) Middoth 5, 4. 28) Aboth 1, 4—15; Chagiga 2, 2. 29) Sanhedrin 1, 5. 6. 30) Sanhedrin 4, 2. 31) Qiddushin 4, 4. 5. 32) Antiqq. XX. 8, 11.

Appendix

de ordinum Judaicorum variis nominibus et fatis.

Auctor hujus commentationis si diutius munus docendi in Lyceo Hosiano retinuisset, in indice lectionum semestris sequentis explicasset Vobis, commilitones humanissimi, contestationem quandam R. Joshuae, qui Flavio Josepho aequalis in cantoribus templi Hierosolymitani fuerat[33]), exhibitam in Thos. Jebammoth 1., cujus recensio longior cum variantibus lectionibus praeterea legitur in Bab. Jebammoth fol. 15 b et in Hier. Jebammoth fol. 3 a. In explicanda ista contestatione demonstrasset Vobis, praeter synedrium magnum Israelis ex omnium septem ordinum viris selectis compositum exstitisse et aliud synedrium sacerdotum vel pontificum nominatum, in quo inde ab Ezrae tempore Sadoqidae tantum fuissent, donec ab Herode Magno duabus gentibus aliis Pinechasidicis loca in eo concessa essent, scilicet genti Phabi, quae erat ephemeriae Jachin et phyles Seorim et ex qua pontifex maximus primus Ananelus, nec non genti Boëthi, quae erat ephemeriae Abia et phyles ha-Qotz et ex qua pontifex maximus primus Simon, socer Herodis Magni; qui tamen ex hisce gentibus duabus cum Sadoqidis in synedrio pontificum fuissent, per ultimos novem templi secundi annos non cum Sadoqidis in aede sacra, sed cum sacerdotibus ephemeriarum suarum in atrio tantum officiis sacris eos functos esse. Contestatio ista R. Joshuae probe intellecta viam auctori aperuit, qua plura de septem ordinum Judaicorum variis nominibus et fatis perspiceret, quae jam Vobiscum communicabit.

1. Fortuito nobis servata sunt nomina conviciosa quinque ordinum inter primum et septimum positorum. Hegesippus enim apud Euseb. H. E. II. 23 testatur, scripsisse sese in libro suo de magistratu ex septem ordinum Judaicorum selectionibus composito. Inde profectum est, ut ad marginem loci Euseb. H. E. IV. 22, ubi verba Hegesippi referuntur de Thebute, uno *τῶν ἑπτὰ αἱρέσεων τῶν ἐν τῷ λαῷ*, aliquis ex ipso libro Hegesippi adnotaret nomina septem ordinum hoc modo: *οἱ ἀρχιερεῖς*, *οἱ Σιμονιανοὶ*, *οἱ Κλεοβιηνοὶ* (aut potius *Κλεοβανοὶ*), *οἱ Δοσιθεανοὶ*, *οἱ Γορθηνοὶ*, *οἱ Μασβωθαῖοι*, *οἱ Ἰσραηλῖται*. Alius haec septem sectarum nomina esse ratus, quum *τοὺς ἀρχιερέας* et *τοὺς Ἰσραηλίτας* in sectis numerare nollet, quinque reliqua nomina a margine in ipsum textum cum additamentis ita inseruit, ut nunc non liqueat, utrum in interpolato isto Hegesippi fragmento de quinque sectis Judaeorum, an Christianorum sermo sit. Jam Theodoretus in exemplo suo historiae ecclesiasticae Eusebianae locum huncce Hegesippi interpolatum legebat, quoniam haer. fab. I. 1. scribit, ex radice Simonis Magi prodiisse *Κλεοβανοὺς*, *Δοσιθεανοὺς*, *Γορθηνοὺς*, *Μασβωθέους*: in exemplum autem, quod erat in manibus Epiphanii, interpolatio ista non irrepserat, quoniam eas sectas neque in Judaicis, neque in christianis recenset, sed

---

[33]) Lightfoot Opp. posth. pag. 57.

Dositheanos et Gorthenos in sectis Samaritanorum, ibidemque etiam Cleobanos ponit sub alio eorum nomine Σεβουαίων, et Masbothaeos sub alio eorum nomine Ἐσσηνῶν, id quod mox probabimus.

2. Unde jam factum est, ut apud Epiphanium ii ipsi in sectis Samaritanorum sint, quos nos ordines Judaicos fuisse existimamus? — Nimirum post templum eversum ordo primus Sadoqidarum ac numerosissimus ordo septimus Israelitarum gregariorum convenientes in Judaismo rabbinico reliquis quinque ordinibus Rabbinismum abhorrentibus nomen conviciosum generale Samaritanorum vel Cuthaeorum, singulisque eorum specialia ejusmodi nomina indiderunt; quumque exeunte saeculo secundo aut ineunte tertio Bne Simonaja (i. e. filii Simonum vel Simoniani) sese Judaeis rabbinicis adjunxissent [34]), restabant quattuor ordines Judaeorum Rabbinismo infestorum, vel quattuor sectae Samaritanorum, quas enumerat Epiphanius. Quamquam enim modo Samaritani modo Cuthaei iidem homines nominabantur, distinguebatur tamen inter Samaritanos ethnicos, i. e. antiquiores, biblicos, a Judaismo discrepantes, et Cuthaeos Judaicos, i. e. Rabbinismi adversarios [35]).

3. Gens Boëthi Alexandrini quum esset ἐν τοῖς γνωρίμοις sacerdotibus, ordinis secundi erat ephemerias Joiarib et Abia complectentis. Quod autem erat phyles ha-Qotz, nomine hoc in convicium mutato ejus gentis homines vocabantur hebraice Bne ha-Qoph [36]), chaldaice Qophaë, i. e. Qophidae vel filii simiae, quod nomen a gente exosa in totum ordinem transiit [37]). Loco Qophaë dicebant etiam Qaiaphaë [38]), scilicet derivantes a graeco κεῖπος vel κῆπος simiarum genus denotante, quod consonat cum Καιάφα, Josephi pontificis maximi cognomine. Et quoniam e gente Boëthi erant duo Simones pontifices maximi, scilicet socer Herodis Magni et ejus filius Qanthera cognominatus, inde totus ordo secundus, fortasse etiam cum allusione ad vocabulum latinum simiae, Bne Simonaja vocabantur, cum Simone Mago praeter nomen nihil commune habentes. Item ubicunque sermo est de domo Boëthi (Beth Baithos) ac convicia a nomine Boëthi prodeuntia obviam fiunt, totus ordo secundus innui videtur, sicut etiam a nomine Phabi toti ordini tertio profectum convicium mox proponemus. Quum enim gens Βοηθοῦ revera non fuisset gens Auxiliatoris, nomen ejus in contrarium mutantes pro Beth Boëth pronunciabant Beth Dobeb, i. e. domum inimici vel diaboli, quod per Athbash mitigabant in Beth Qoshesh, i. e. domum τοῦ μωροῦ, scilicet diaboli [39]), unde fluxit Beth Meqoshash, i. e. domus τοῦ μωρανθέντος [40]), scilicet diaboli non mali et insipidi a deo creati, sed mali et insipidi facti sua ipsius culpa. Jam si gens Boëthi fuisset ephemeriae Joiarib, certo R. Joshua adhibuisset nomen conviciosum ab ejus

---

[34]) Hier. Jebammoth fol. 13 a. [35]) Hier. Sheqalim fol. 46 b.

[36]) Mishna Para 3, 5. — Elioënai pontifex maximus, filius ha-Qoph dictus, revera fuit filius Simonis Qanthera (Antiqq. XIX. 8, 1), hic vero filius Simonis, soceri Herodis Magni (Antiqq. XIX. 6, 2), atque hic filius Boëthi cujusdam Alexandrini (Antiqq. XV. 9, 3).

[37]) R. Joshua in Bab. l. c. [38]) Idem in Thos. l. c. [39]) Idem in Hier. l. c.

[40]) Idem in Thos. et Bab. ll. cc.

ephemeriae nomine deductum. Quum enim Asamonaei essent filii Jarib[41]), mutato hoc nomine vocabantur filii Sareb, i. e. filii Rebellantis, scilicet diaboli, unde prodiit nomen Bne Mesarab vel Mesarbaë[42]). Quo convicio quum R. Joshua in designanda gente Boëthi non utatur, licet concludere, gentem Boëthi cum phyle ha-Qotz fuisse ephemeriae Abia.

4. Gens Phabi cum Ananelo e Babylonia arcessita quum esset τῶν ἀσημοτέρων Pinechasidarum, ad ephemeriam Jachin pertinebat, quae sola erat in ordine tertio. Dum Hellenistae pro nomine Jachin absque contumelia ponunt modo Ἀχεὶν[43]), modo Ἀχὶμ[44]), ordinem tertium Jachinidarum R. Joshua cum opprobrio vocavit ʿAchanidas vel ʿAchani scelesti filios[45]), sive ʾAchanaë is dixit, sive ʿAchamaë[46]). Item quum nomen babylonicum Phabi cum graeco φάος et Φοῖβος ejusdem stirpis esse et Illustrem vel Splendidum notare videatur, filii Phabi nomine hoc suo in contrarium mutato vocabantur filii ʿAlub vel ʿAlubaë[47]), hellenistice Κλεοβανοὶ[48]), i. e. filii Miserabilis, quod convicium a gente hujus ordinis nobilissima ad totum ordinem transferebatur. Praeterea offerebat se ad faciendum genti Phabi et ordini tertio convicium nomen phyles Seorim, cujus ea gens erat, quo mutato vocabantur Beth Tzeboim[49]), hellenistice Σεβουαῖοι[50]), i. e. domus hyaenarum vel generaliter animalium rapacium, ita ut Κλεοβανοὶ et Σεβουαῖοι varia eorundem hominum nomina sint.

5. Quartum ordinem Eleazaridarum inferiorum inde vocatos esse suspicamur Dositheanos vel Dositheos, quod ejus ordinis fuerit Dositheus, homo perfidissimus, Herodi Magno certo non minus acceptus, quam erant gentes Phabi et Boëthi[51]).

6. Ithamaridae postquam per Nehemiam iterum in Judaea praesentem munus τῶν λειτουργῶν et decimas amiserunt, erant Meshorerim, i. e. cantores. Pro quo novo munere stipendium quotidianum recipientes[52]), ab Agorath Kesseph, quae in vaticinio de Ithamaridis 1 Sam. 2, 36 prolato legitur, cum contumelia vocabantur aramaice Agorethaïn vel per aphaeresim Gorethaïn, hellenistice Γοροθηνοὶ, Γοραθηνοὶ, Γορθηνοί[53]). At per Joannem Hyrcanum eo officio et stipendio exuti ex Meshorerim fiebant dicebanturque hebraice Meorerim, scilicet ob damnum istud sibi illatum reliquos Judaeos clamore, querela, rixa excitantes vel non sinentes quiescere. Item non amittentes nomen aramaicum Gorethaïn,

---

[41]) 1 Macc. 14, 29.

[42]) Hier. Thaanith 4, 5. — Geiger, Urschrift und Uebersetzungen der Bibel pag. 205.

[43]) LXX Gen. 46, 10. [44]) LXX 1 Chron. 24, 17; Matth. 1, 14. [45]) Jos. 7, 1; 22, 20.

[46]) R. Joshua in Bab. l. c.

[47]) Idem in Thos. l. c. — In Hier. l. c. scribitur ʿAnubaë, aut vitiose, aut per commutationem sonuum liquidorum.

[48]) Theodoret. l. c. — Quod apud Euseb. H. E. IV. 22 legitur Κλεοβιηνοὶ, id celebratissimus Cleobius Bitonis socius effecisse videtur.

[49]) R. Joshua in Bab. et Hier. ll. cc. — Quod in Thos. l. c. legitur Tzebaim, procul dubio mendosum est.

[50]) Apud Epiphanium. [51]) Jos. Antiqq. XV. 6, 2. [52]) Neh. 12, 47; 10, 40; 13, 5.

[53]) Sicut a Gaza derivatur hebr. Gazathi, ab Agora venit hebr. Agorathi, aram. Agorethai.

novo quoque aramaico nomine tunc vocari coepti sunt Goregin, hellenistice Γοϱογηνοὶ, Γοϱαγηνοὶ, Γοϱγηνοὶ, quod ejusdem notionis est atque hebraicum Meorerim, et cujus vestigium exstat apud Epiphan. Anaceph. pag. 127 C., ubi nomen antiquius Γοϱοθηνοὶ cum recentiore Γοϱγηνοὶ coaluit in absurdum Γοϱγοθηνοί.

7. Quamquam inde a Nehemia iterum in Judaea praesente minor tantum pars Levitarum genere munus custodum templi habebat, omnes tamen sexti ordinis homines custodes quidam esse pergebant, scilicet custodes legis, i. e. stricte eam observantes, custodes dei, i. e. pie eum venerantes, custodes sui ipsorum, i. e. morbos mentis potius quam corporis religiose evitantes et pellentes, atque ab hac ultima sui ipsorum custodia reportabant honorificum nomen aramaicum Assain vel Ossein, hellenistice Ὀσσαῖοι vel Ὀσσηνοὶ, i. e. medici[54]), dum eorum graecum in Aegypto potissimum usitatum nomen θεϱαπευτῶν ad artem illam medicam pariter atque ad venerationem dei respicit[55]). Inde a Joannis Hyrcani aetate, quando Ithamaridae nomen conviciosum Meorerim sibi promerebant, Levitae genere vel Ὀσσαῖοι contrariam Ithamaridis agendi rationem secuti novo honorifico nomine in Palaestina plerumque vocabantur Hhashaïn, Ἐσσαῖοι vel Ἐσσηνοί, i. e. silentes, quieti. Quod vulgare tunc nomen Palaestinense Ἐσσαίων atque Aegyptium θεϱαπευτῶν Philo quidem Judaeus, linguarum semiticarum ignarus, ejusdem notionis esse putavit, at Epiphanius veram illius nominis significationem pernoscens Essenos ἰδιαζόντως Essenis agere scribit, i. e. quomodo conveniat iis, qui non nomine tantum, sed revera Esseni sint, τὴν φιλονεικίαν κεκτημένους adversus neminem, nemini ἐναντιουμένους, se submittentes et accomodantes omnibus[56]). Τὸ τῶν Ἐσσηνῶν γένος[57]), cujus erant Judas[58]), et Simon[59]), Essaei genere dicti, quum mores et statuta haberet peculiaria contribulibus omnibus observanda, alterum tamen τάγμα eorum praeterea a nuptiis abstinebat et vitam communem exercebat, atque ex reliquis quoque Judaeis socios sibi adjunxit, qui non genere, sed disciplina tantum Esseni erant[60]). Post templum eversum omnium ordinum primi Levitae genere, quos proxime secuti sunt Gortheni, novum Judaismum rabbinicum rejecerunt, ἐνέμειναν γὰϱ οἱ Ἐσσηνοὶ τῇ πϱώτῃ ἀγωγῇ μηδὲν ὑπεϱβαλλόμενοι[61]). Quam ob rem mutarunt Rabbinici utrumque Levitarum genere nomen honorificum in convicium. Nam qui olim medicorum et quietorum appellationibus celebrati fuerant, jam vocabantur modo Noqephim, i. e. percussores vel vulneratores, modo Mashbāthin, hellenistice Μασβωθαῖοι, i. e. quietati, in requiem mortis sopiti, penitus destructi, funditus eversi.

---

[54]) Epiphanius de significatione nominis hellenistici Ὀσσαίων dubius perperam id derivat modo ab ush, vertens στιβαϱὸν γένος (haer. XIX. 1), modo ab utz, vertens ἰταμώτατοι (Anaceph. pag. 134 B; Resp. ad ep. Acacii et Pauli sub fin.)

[55]) Philo de vita contempl. § 1; Quod omnis probus liber § 12.

[56]) Haer. et Anaceph. [57]) Antiqq. XIII. 5, 9. [58]) Antiqq. XIII. 11, 2; Bell. I. 3, 5.

[59]) Antiqq. XVII. 13, 3; Bell. II. 7, 3. [60]) Bell. II. 8, 13; Philo apud Euseb. praep. evang. VIII. 8.

[61]) Epiphan. haer. X.

8. Quae de Samaritanis eorumque sectis partim vera partim depravata Epiphanius comperit, ea omnia nullam omnino crisim adhibens in unum congessit [62]. Quod Samaritanos antiquiores confundit cum recentioribus, id aliis quoque accidit; nam Sabbaeus et Theodosius, antiquiores Samaritani a Flavio Josepho commemorati, propter nominum similitudinem facillime effecerunt, ut recentiores Sebuaei et Dositheani in tempora remotiora referrentur [63]. Secundum Epiphanium Gortheni et Dositheani dies festos eo tempore celebrabant, quo Judaei, Sebuaei autem festum Paschatis autumno et festum tabernaculorum tempore verno: id quod corroboratur in Hier. Pesachim 27 b, ubi sermo est de Cuthaeis alteris festum Paschatis eodem tempore quo Judaei, atque alteris non tunc id celebrantibus. At quod Epiphanius pro more suo non fictum a se, sed ab aliis acceptum tradit de Essenis nec contra Gorthenos Dositheanosque, nec contra Sebuaeos certantibus, immo vero agentibus dies festos modo cum his, modo cum illis, quibuscum forte una commorati sint, id ex vera notione nominis Essenorum potius male conclusum, quam veritati consonum esse videtur. Nam si Esseni tantopere effeminati tamque parum sibi constantes fuissent, plurimis Judaeis declinantibus certo non perstitissent in τῇ πρώτῃ ἀγωγῇ, quod fecerunt secundum aliam relationem per ipsum Epiphanium nobis servatam, nec Josephi Philonisque laudibus tam eximiis unquam efferri potuissent. Quod Esseni cum Gorthenis et Sebuaeis mortuorum resurrectionem negabant, quam cum Judaeis Rabbinicis asserebant Dositheani, inde illi Samaritani genere, hi autem genere Judaei et tantum disciplina Samaritani esse perperam ferebantur.

Valete commilitones atque harum paginarum auctori bonam memoriam servate.

---

62) Haer. IX. X. XI. XII. XIII. 63) Antiqq. XIII. 3, 4. — Lightfoot Horae pag. 584. seqq.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris tractabit quotidie h. IX—X.

II. Concilii Tridentini decreta de Reformatione explicabit exercitationesque juris ecclesiastici instituet diebus Martis et Veneris h. VI—VII.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologeticen tradere perget diebus Lunae et Jovis h. III—IV, nec non die Saturni h. X—XI.

II. Doctrinam dogmaticam de ss. Sacramentis et de rebus post mortem futuris exponet dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. X—XI.

Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O. des.

I. Selecta capita librorum V. T. historicorum explicabit dieb. Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.

II. Evang. Johanneum interpretabitur dieb. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.

III. Repetitiones exegeticas instituet horis definiendis.

Dr. Franc. Hipler.

I. Theologiam moralem docebit dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. XI—XII.

II. De vita et scriptis s. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum trium primorum saeculorum disseret dieb. Veneris et Saturni h. XI—XII.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Meteorologiam et Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet dieb. Lunae et Jovis h. XI—XII.

II. Aut Trigonometriam geographicam, i. e. Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro: „Sniadecki's sphärische Trigonometrie etc. übersetzt von L. Feldt" tradet, aut Theoriam sectionum conicarum explanabit dieb. Lunae et Jovis h. II—III.

III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret dieb. Martis et Veneris h. XI—XII.

IV. Calculum differentialem et integralem tradere perget, et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet dieb. Martis et Veneris h. II—III.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O.

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur ter per hebd. h. IX—X.
II. Persii satiras explicabit bis per hebdom. h. IX—X.
III. Historiae literarum Graecarum et Romanarum conspectum tradet horis definiendis.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomad. hora definienda.

Dr. Jos. Bender, P. P. O. des.

I. Historiam universalem tradere perget ter per hebd. h. VIII—IX.
II. Historiam Warmiensem enarrabit bis per hebd. h. VIII—IX.
III. Selecta carmina Theotisca interpretabitur bis per hebdomad. horis definiendis.
IV. Repetitorium et disputatorium historicum instituet semel per hebd. hora definienda.

De Philosophia lectiones suo tempore indicabuntur.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, diebus Martis et Veneris hor. II—III commilitonibus patebit.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

Stipendium Scheillio-Bussianum.

De proposita quaestione: Liturgia vetus Constantinopolitana comparata cum vetere Romana, quae s. Gregorii nomine fertur, scriptum traditum est s. Pauli verbis insignitum: *τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*, 1 Cor. 11, 24. Optandum quidem foret, ut auctor libelli accuratius fontes suos produxisset et argumenta tum altius petiisset tum strictius et plenius exsecutus esset. Verum quum idem rem suam satis diligenter perscrutatus videatur ac laudabili perspicuitate et quadam sermonis facilitate tractarit, ab Ordine Theologorum praemio constituto non indignus judicatur.

Schedula resignata exhibuit nomen:

Hugo Weiss, stud. theol.

Pro novo certamine Ordo Theologorum Commilitonibus hoc statuit thema tractandum: Sancti Cypriani doctrina de Ecclesia ex ipsius scriptis proponatur. Praemium constitutum XXV Impp. Terminus exhibendarum scriptionum d. 1. Januar. MDCCCLXV.

Publ. in Lyceo Regio Hosiano d. 22. Mart. MDCCCLXIV.